ex dono auctoris 16

SPECIMEN

LATINAE ITALICAEQUE POESEOS

EXARATUM

A MARCELLO FORNAINIO

SACERDOTE

IN LYCEO FLORENTINO HUMANIORES LITERAS TRADENTE.

FLORENTIAE

TYPIS BARBÉRA, BIANCHI ET SOC.

MDCCCLV.

AD AMICOS.

Diu cunctatus, ne imprudentius facere viderer, si vestrae maturius obtemperarem voluntati, tandem vobis morem gero. Gero tamen, fateor, invitus, quippe qui pertimescam (quis enim tantulus non pertimesceret?) ne officiosius qui amicitiae inserviam, ejus fines egressus, eo procedam, ut illi desim amori, quem Deus nobis inolevit, ut nos, quaeque ad bene, recteque vivendum magis pertinere videantur, pro viribus tueamur. Quid autem aedepol nobis antiquius, quid necessarium magis, in quo majori vi, studioque enitendum, quam ut bene, immo in dies usque melius audiamus? Videte tamen novum prorsus facilitatis genus, quidquid de me futurum sit, susdeque feram, dum vobis placeam: cum praesertim inter vos nonnulli sint, quorum auctoritas tanta est domi, forisque apud omnes, ut merito eam maximi facere debeam: alii vero, qui me omni officiorum, beneficiorumque genere adeo sibi devinxerunt, adeoque sunt in me affecti, ut eorum desiderio repugnare, neque ausim, neque velim.

Hac mihi primum haesitanti causae exstiterunt, cur, quos versiculos latine italiceque exaravi, alios e re nata, alios per jocum, omnes vero subcisivis temporibus, eos licet invenustos, rerumque inopes, typis traderem evulgandos. Quod si, quae scripta probavistis, reprobabitis edita, erit magis in causa vestra facilitas in judicando, quam mea in obsequendo. Neque ego, ubi id vobis contigisse intelligam, quidquam sane mirabor: mirentur illi, quos lateat, nos ita natura esse comparatos, ut quaecumque amore prosequimur, ea, non quae sunt, sed quae desiderantur, nescio qua dulci necessitate compulsi videamus: quod non elegantius, quam verius sapientia Veterum expressit, dum Amorem coecum numen excogitavit. Quorum auctoritati quis fidem deneget, quin sibi ipse dissentiat? Quamquam fortasse, ut vos certe in amore, sic ego sum nimius in metu. Hoc tamen procul dubio metuendum censeo, ne, dum canoras hasce nugas in vulgus emitto, inanem quamdam gloriolam aucupari videar: sciant igitur

omnes velim, me nullam in latino italicoque sermone mihi laudem vindicare, qui expertus sciam ad latine praesertim, et, quod etiam majus, poetice scribendum ea requiri, quae vel homines acri ingenio, subtilique judicio praediti vix per summum laborem assequuntur: neque ideo sane mirandum, ex iis, qui ad hujusmodi studia singulis aetatibus se contulerunt, exstitisse non multos, qui mediocri, paucos, qui magna laude floruerunt. Quis enim latine scribat, quin latine cogitet, latine sentiat? Quod tametsi supra quam cuique credibile est, factu difficillimum sit, numquam tamen ad eorum sententiam accedam, qui id omnino fieri non posse contendunt.

Quis enim plerosque nostros, caeterarumque nationum nonnullos, qui Latinos Scriptores, tum soluta, tum ligata oratione, imitandos susceperunt, attente perlegerit, quin aliter sentiat? Nam cui Fracastorius, Sannazarius, Vida, Flaminii, Muretus, Aldus Manutius, Bonamicus, Sadoletus, et ad recentiores ut veniam, qui vel nuper

occiderunt, vel adhuc vivunt, et o utinam ad literarum gloriam quam diutissime, incolumiterque vivant! cui Morcellius, Lanzius, Boucheronius, Schiassius, Bernardinius; cui denique Vallaurius, Silvestrius, Cantinius, Ferruccius uterque, suavissimam aureae aetatis latinitatem non redolent, haud scio, an ipsi latinorum optimi quique ejus judicio latine sapiant. Sed de re tanta vestrum est judicare, ut vestrae humanitatis erit, spero equidem, hoc specimen qualecumque meum, quod vobis nuncupatum volui (vestris enim auspiciis in lucem prodit) aequi, bonique facere, et ut vestrum tueri. Valete.

MICHAELI FERRUCCIO VIRO CLARISSIMO

SAC. MARCELLUS FORNAINIUS

S. D.

Cum de hoc specimine, Ferrucci suavissime, evulgando cogitarem, ut efflagitantium communium amicorum desiderio facerem satis, tu omnium primus (et quam merito Juppiter!) statim animo occurristi, cui corrigendum ante committerem, quam typographo traderem excudendum. Et fecissem equidem, et quam citissime, et quam qui libentissime fecissem; nisi quominus id ex sententia fieret, duo potissimum obstitissent, quod nempe animadvertebam te multis, gràvissimisque occupationibus ita perpetuo distineri, ut vix, et ne vix quidem paullulum temporis sit reliquum, quod des amicitiae; et licet fortasse mihi (quae tua incredibilis in me voluntas) consulenti non defuisses, at celeritatem tamen, qua opus erat, cum passuum multorum millium intervallo separemur, certo defuturam. Te de hoc praemonitum volui, ne forte, quod vix feci necessitate compulsus, id me per arrogantiam fecisse suspiceris, vel etiam credas. Insuper, spero, veniam dabis, quod te inconsulto, de te, immo et de fratre tuo nonnulla paucula scripserim, scripturus plura, si per tempus; majora, si per ingenium liceret, ut quanti vos faciam, quantum diligam, vel potius amem, quantamque vobis habeam gratiam

ob ea, quae in me, veluti fraterno quodam humanitatis studio beneficia contulistis; et nunc omnibus innotesceret, et posteros non praeteriret. At quando voluntati vires non suppetunt, suppleat tenuitati meae humanitas illa tua plane singularis, qua si alias, nunc ita egeo, ut nemo magis. Ita enim versiculi mei, quamvis invenusti, invitaque fortasse Minerva, subiratisque musis conditi, tibi non omnino indigni videbuntur, qui in lucem prodeant, qui legantur, qui fortasse etiam probentur. Non deerit tamen, ubi ortographiam, ubi prosodiam, ubi, quod pejus, grammaticam desideres; de his igitur, aliisque non paucis, quae peccavero, me velim excuset (si hoc genus excusationis est admittendum) festinatio, ut urgentibus in dies amicis, amicisque importunius urgenti typographo, obsecundarem; adeo vero obsecundavi, ut nedum maturius, sed ne paullulum quidem meditatus, et veluti ex tempore scriberem saepius; et tu scis, quamvis unus omnium maxime totam auream latinitatem teneas, quam difficile sit, vel meditato latine scribere. Habeas igitur hunc libellum testem nimiae in amicos facilitatis meae, habeas interpretem amoris erga illos, et praesertim erga te mei, quem si non alium ac vere fraternum

dixero, eoque adeo me affectum, ut tui desiderio tenear, dicam verius, excrucier, veritati certe non deero. Vale, immo ut magis, magisque valeas, cura diligenter, et cum omnibus reliquis tuis meo nomine salvere jubeas velim illud illustrium faeminarum Italiae decus, Catharinam tuam, cujus jucundissimo consortio utinam quam diutissime fruaris. Iterum vale, meque in tuis habere perge.

Florentiae postridie idus Februarias anno MDCCCLV.

LATINA CARMINA.

IN ORATORES

qui salute animarum posthabita inanem gloriolam consectantur.

ODE.

Frustra colonum spes alit impigrum
Large labores culta rependere,
Si sole languent destituta
Semina, quae tegit uda tellus.

Frustra carinam navita fluctibus
Committit audax, ut petat ultimas
Partes sub auroram jacentes,
Invida si neget aura cursum.

Hic firmus ordo: nec patitur vices
Natura certis subdita legibus,
Queis Artifex Supremus usque,
Quae dedit omnipotens, tuetur.

Sed nunc Babelis, proh nefas! immemor
Stulte protervis nititur ausibus,
Cœli potest quae sola virtus,
Mira genus peperisse nostrum.

Vos dico, divinum quibus est opus
Vulgare cunctis dogmata gentibus,
Mentesque detersas tenêbris
Ad Fidei revocare lumen.

Insanientis gloria saeculi
Vos heu lacessit vivere nescia!
Quae decidet, ceu flos senescens,
Perpetuam paritura mortem.

Augusta Summi Numinis atria,
Quae sola gignit Relligio, decent:
Lycea vos plaudant diserta,
Mens ubi promit acuta vires.

Sed quis, pependit cujus ab ubere,
Matrem relinquat rebus in arduis?
Quis indigentem non levabit,
Unde frequens tulerit levamen?

Non haec vocanti munere maximo
Vovistis olim Caelicolum Patri,
At semper in fraudes Averni
Bella Dei renovare fortes.

Non haec priorum norma: sed auspice
Cœlo, potentes agmina gentium,
Divâ per omnes emicante
Luce plagas, genuere Christo.

Tu Roma testis, quae licet abditas
Oras triumphis jam peragraveras,
Regina terrarum profundo
Facta potens ubicumque fato;

Vix obstupenti lux nova cœlitus
Demissa nubem, qua tibi plauseras,
Atram fugavit, cum superbum
Victa Cruci caput obtulisti.

Non ira monstrûm Christiadas fremens
De mente firmos tunc solida quatit,
Non vultus instantis tyranni,
Non genus omne necis tremendum.

Tunc Martis horror concidit impius,
Cortina sortes tunc negat impotens,
Tunc fana procumbunt, et arae
Saepe cruore hominum tepentes.

Horrenda nuper quae scelerum cohors
Saeva premebat blanda tyrannide
Te, fusa diffugit repente,
Ut nigra nox oriente Sole.

Jam pura forti cum Pietas Fide,
Et vera Virtus, et niveus Pudor;
Jam Charitatis flamma mersum
Alma redit relevare mundum.

Tam mira gessit vox Domini potens!
Qua cuncta vivunt, qua polus astrifer,
Qua pontus immensus, solumque
Pendet iners, hominumque fata.

Vox illa perstat, quae nova suscitet
Portenta: per Vos gentibus intonet:
Per Vos ruinas flere magnas
Relligio reparata cesset.

AD FELICEM CANTIMORRIUM BALNEOREGII

Episcopum consecratum.

ELEGIA.

Jure quidem, Felix, tanto e discrimine vitae,
    Quae simul exoritur, non iteranda cadit;
Ad sacra Francisci fugiebas claustra, perosus
    Quidquid mundus amat, blande et amare jubet,
Ut procul amotum vario tot turbine rerum
    Tutius afflaret Numinis aura potens.
Vana nec elusit Te Spes, quae ludicra saepe,
    Corde sub illecto non peragenda fovet.
Certus enim pergis, coeptisque immobilis haeres,
    Ut teneas humilis fortia signa Crucis.
Non Te spretus Honos Secli, non spreta Voluptas,
    Non Erebi Livor mente quatit solida.
Haec pugnata recens a mundo praelia vincis,
    Quae Virtus, quamvis vincere docta, tremit.
Nam maturus habes primo sub flore juventae,
    Quae stupeant omnes, invideantque pares.

Te siquidem dulces decorant cum pondere Mores,
Te ingenuus Candor, nudaque Simplicitas:
Te Studium recti, Te Virtus nescia culpae,
Te Pudor, et Probitas, et sine labe Fides
Provida consilii jam Te Prudentia ducit,
Quae spectata dedit fratribus esse ducem.
Sed tamen has Pietas dotes intermicat omnes,
Quae prece cum certa sidera scandit ovans.
Quid studia hic memorem, quid cultas Palladis artes,
Eloquiumque fluens, ingeniumque sagax?
Quo Sophiae campis late spatiaris apertis,
Et scrutata novo lumine plura micant:
Quo tibi lecta patent augusta volumina Patrum,
Queis asserta Dei dogmata cuncta doces:
Quo quaecumque palam nobis fecisse fatemur
Numen, ut incertis sternat ad astra viam,
Plana videns, aliis confirmas mente profunda,
Ne labefacta Fides demonis arte cadat.
Te mirata Sacro pugnantem Marte Lycaea,
Impia dum erroris tela retundis acris.
At majora patras, cum vox tua nuntia Verbi,
Omnia quo vivunt, quo sine viva cadunt,
Avertens animis, quas densat culpa, tenébras,
Excitat ad vitam, qui periere, novam.
Non mortale sonas, multo sed Numinis haustu
Pectora tum fervens quolibet ore rapis.
Nam quatit illa metus, si pingis Vindicis iram,
Si Miserantis opes pingis, amore calent.
Cum tamen hæc possis, non fastu elatus inani
Vilius in terris Te nihil esse putas.

Fortis et oblatos mundi contemnis honores,
Laudis et emeritae despicis aure sonum.

Aemulus herois, qui Christi facta secutus
Illius optavit vulnera, et obtinuit:

Victus amore pari, studioque accensus eodem,
Christi ferre crucem, vulnera et ipse cupis

At voluisse satis. — Non sunt haec pignora, Christi
Quae sibi Te poscit, quae Tibi mandat Amor.

Desere Claustra, satis Te jam tenuere, superque,
Rumpe moras, Christus linquere claustra jubet.

Affuit en tempus, cum Te ad majora paratum
Evocat ad magnum Relligionis opus,

Qui modo felici tria fato regna potitus
Numen agit terris a pietate Pius.

Te vocat in partem officii, dum credit alendas,
Quas emit fuso sanguine Christus oves.

Eja age, sume pedum, quae sint tua munera nôsti,
Haec mage sint cordi, quam superesse gregi.

Qui bonus est Pastor, lucri non ducitur escâ,
Vellera quisquis amat, non amat ille gregem.

Pastor amans ovium totum se devovet illis,
Ne pereant, vitae prodigus ipse perit.

Sive agit ad laetos, viridantia pabula, colles,
Seu cogit saturas, sole cadente, domum,

Harum cura premit, nunc has, nunc aspicit illas,
Nunc vocat errantem nomine, et ipsa venit.

Quod si forte aliquam longe vagus abstulit error,
Posthabet huic alias, et loca cuncta gemens,

Quae petiit, repetit, completque ululatibus auras,
Heu frustra ! ad notos nam tacet illa sonos

Jam sudore genae manant, jam pectus anhelat,
Jamque notata rubis sanguine membra rubent;

Sed tamen urget iter, repitque per aspera montis,
Et ruit in praeceps, nec sua damna timet:

Nec celerem, lassam reperit quam valle reducta
Laetus ovem, Pastor continet ante pedem.

Quam sibi deficiat quamvis jam viribus haustum
Corpus, at invalidam non sinit ire tamen.

Sublatamque humeris properans adducit ovili,
Laetaturque magis, quam fuit ante dolens.

En expressa Deo Veri Pastoris imago;
O nunquam ex oculis excidat illa tuis!

Haec Tibi lumen erit, dux haec Tibi certa salutis,
Viceris hac, hostis quae nova bella parat.

Sola dabit potius caput objectare periclis,
Fortiter et mortem spernere sola dabit,

Quam concussa labat duris Constantia rebus,
Quam jurata Deo pro grege jura cadant.

Quamquam vana loquor, nam Christi factus imago,
Quid, nisi quae Christus gessit, et ipse geras?

Eja age sume pedum, posita formidine, magno
Non impar oneri, suscipe promptus onus.

Eventura cano, voti damnabere, laeta
Fata Tibi properant, tempora laeta gregi.

Tuque adeo felix Tellus Antistite plaude,
Plaude novo; qualem spes tua finxit, erit.

AD ALOYSIUM MESCHINIUM

quum primum ad aram sacris operaturus accederet.

ELEGIDION.

Funde, licet, lacrymas tanto insignitus honore,
Mille quidem causas, cur lacrymeris, habes.
Munera summa tenes, sed quo peragenda periclo!
Heu quam multa gravi pondere turba perit!
Hostis multus adest, cujus cum fregeris iras,
Artibus usque novis ad nova bella redit.
Tu tamen impavidus primis conatibus obsta,
Et referes Christo magna trophaea Duce,
Cum tibi Cœlestis pectus succenderit Ignis,
Spes alat, et firmet non peritura Fides.
Hac nunquam metues Inferni Luce tenébras,
Hac Te non fallet, quae sit ad astra via.
Hac fueris Lampas, summo hac Urbs mystica monte,
Vita, medela, salus, semita certa poli.
Haec onus Angelicis metuendum viribus una,
Una Tibi, ut par est, sustinuisse dabit.

Non Te sic fretum tentabit blanda Voluptas,
Non despectus Honos, non reprobanda Quies.

Non aurum mendax, miseros quod perdit amantes,
Dum Cœli immemores in scelus omne rapit.

Discipulus testis, qui Christum prodidit auro:
Quid non mortales cogis avara fames!

Mundus inops inopes sua reddit signa secutos,
Perfidus et Mortis mittit in arbitrium.

Nam Tu quaeris opes, non quas Fortuna ministrat
Caeca suis, sed quas non violanda Themis.

Nec Tibi deficient, si, qui Te duxit ad aram,
Pectore constiterit Relligionis Amor,

Omnia qui Christo Te posthabuisse jubebit,
Multa pati: vires sufficit ille pares.

Sed quid vana loquor? nam totus Numine plenus
Quid, nisi quae fuerint Numine digna, feres?

Eja age, rumpe moras; Christus vocat, annue, voti
Templum compos adi, Te manet ara frequens.

Pone modum lacrymis, solemnes indue Vestes,
Confice mysterium, Numen adesse jube;

Expiet ut culpas, ut placet Victima Patrem,
Ut referat grates, praesidiumque ferat.

En, laetare, Deus venit, en venit astra relinquens,
Omnia cui parent, ad tua verba venit.

Quae nos fata premant, et quae pejora timentur,
Quae res Christiadum, votaque gentis, habes:

Dissipet illa pius, Tu fac, Deus ista secundet,
Candida Pax redeat, regnet ubique Fides.

AD ODILONEM MASSACCESIUM

in lyceo magno bononiensi laurea ad honorem in utroque jure donatum.

Eja age, quid cessas? Lauri dignatus honore
Cinge comas; impar non Tibi Frondis honor.
Non Favor hoc potuit, non hoc Fortuna, Dolusve,
At Mens, et Studium promeruisse dedit.
Felsina quod statuit judex, id numine firmat
Ipsa Themis, de Te quae sibi quanta manet!
Virtute omnigena praestans cum divite fœdus
Crimine non feries, ne sit inultus inops:
Splendida nec reddent unquam promissa silentem,
Nec tua fracta fides concidet ante minas.
Tu viduis columen ; Tu, mors quibus atra parentes
Eripuit, referes sedulo amore patrem.
Vindice Te domini dominum res quaeque sequetur,
Nec Fraus Iustitiae vulnera tecta feret.
Interpres legum sapiens scrutabere mentem,
Quae tulit, ut noscas, quid sibi verba velint.
Sic erit incolumis Juris veneranda potestas,
Tutaque sic populi, Jure tuente, salus.
Spes haec. At fatis quis Te non dixerit aequis
Maxima posse virum, qui modo tanta paris?

CUM AUCTOR JOSEPHUM ARCHANGELUM

literatissimum virum primum inviseret.

Convenit en primum Te, Archangele, frater amici;
Hoc, in se nullus, nomine fretus adest.
Ex-sul adhuc patria, fatis compulsus iniquis,
Nunc natale petit, sorte negante, solum.
Per Te, namque potes, materno reddar amori,
Fraterno reddar, sic mihi reddar ego.
Nam procul a patria non est mihi vivere vita,
Sed mors, et pejus morte quod esse potest.
Fac tamen, ut profugo quod Felsina praestitit hospes,
Denique det reduci terra paterna suo.
Non me census alit; fuit hic, sed fraude malorum
Defuit absumptus; vix domus apta manet.
Ingenii vis parva mihi, sed magna voluntas,
Et studium, versus condere et Artis amor.
Sermonem excolui Graecum, excoluique Latinum,
Fama licet magno parta labore minor.
En tibi qualis ego: Tu judex viribus aequum
Pone meis, voti ut denique damner, onus.

AD N. RESPIGHIUM

Doctorem Decurialem in lyceo magno bononiensi astronomiam tradentem.

Discipulo nuper merito Tibi cura docendi
Credita, namque vales ferre docentis onus.
Nec juvenilis adhuc aetas invidit honorem,
Qui datur ingenio, promeritisque magis.
Jam videt antiquos per Te jam Felsina fastus
Nunc fulgere novo lumine laeta suos:
Nec spes illa cadet; quam forsan viceris, ausu
Forti dum sequeris non minor acta Patrum.
Scis, quam multa patent, quae jam latuere, latentque
Quam multa, ut pateant, mira reposta polo.
Inventis mens apta Tibi: percurre rotundum
Tu quoque cælum animo, sidera quaere nova.
Nota quibus subsunt, leges scrutare latentes,
Per Te luce novà fulgidiora micent.
Alta premens veterum vestigia viribus aude
Ipse novum magnis currere nisus iter.
Hac, ut mittam alios, mirus Galileius arte,
Claret, quo tellus, sole manente, rotat.
Vita regat Magni Te; sed fera fata monebunt,
Pro vero, intrepidus quod tulit ille, pati.

IN IMMACULATUM DEIPARAE CONCEPTUM.

An. MDCCCLII.

Viderat Omnipotens oppressum fraude draconis
   Humanum prima cum genitrice genus;
Cui veniam sperare nefas, quod pœna premebat
   Justitiae vindex Mors minitata reum.
Illius at fatum miserans; Non eruet, inquit,
   Quod foveo, certus condere, victor opus.
Exorietur enim communis nescia culpae
   Virgo, funestum non subitura jugum.
Filia, Sponsa, Parens fuerit virtute superna;
   Verbum, quo feci sidera, ventre geret.
Nam assensu haec humili redimet, quod prima superbo
   Perdidit infelix aequiparata mihi.
Nunc Natura regat, post Lex; at Gratia regnet,
   Cum Deus humano corpore jura dabit.
Salve Virgo potens: per Te spes nostra revixit,
   Dum pares nostrum commiserata malum.
Felix ille tuus Conceptus jure colendus,
   Ut redeunte facit tempore turba memor.
At quae firmasti divina oracula, Mater,
   O cur non firmas, quod sine labe nites?

Id Te poscit amor, generis Te gloria nostri.
Cur Triadis totus non videaris honos?

O videare (satis latuit laus ista) subacta
Culpa, dum mire concipereris, ovans.

Vota Pii solare, preces solare piorum,
Quanta micas astris, Te colat orbe Fides.

PER GIOVANE ASTRONOMO

morto nel 1853.

SONETTO.

Non piango io te che alle sideree sedi
Nella pace dei Santi alfin volasti,
Lasciando il mondo che i costumi ha guasti,
Nè il mal più sopportar sa, nè i rimedi:

Ma su nel ciel fra l'auree stelle incedi
Con Urania gentil che tanto amasti,
Con Lei, che un raggio ne' begli occhi casti
Ti mostrò di quel Ver ch'ora tu vedi:

Piango me sol, piango i compagni tuoi
Abbandonati nel cammin deserto
Che ha nome vita, ed è morte per noi:

Piango di fango e sangue il suol coperto,
Ciascun tremante sul destin de' suoi,
Incerto il tutto, ed il dolor sol certo.

AB. GIUSEPPE ARCANGELI.

Idem latine redditum.

Non ego Te illacrymor, Superûm qui sede potitus
Aeternum frueris, pax ubi plena manet,

Jam procul a mundo, pravis qui moribus haeret,
Nec mala ferre valet, nec reparare modos.

Nunc et alta premis victrici sidera planta,
Et comes Uranie, quae tua cura, venit:

Uranie alma suis, quae castis lumen ocellis
Cernere saepe dedit, quod sine nube vides.

Me solum. me illacrymor, nec non quos atra sodales
Sors voluit miseros, dum cadis ante diem;

Et spes quanta cadis! cursu, quem nomine vitam
Re tamen at nobis dixeris esse mori.

Illacrymor terras heu! limo, et sanguine fœdas,
Et quae quisque sibi, fata suisque timet.

Quae non illacrymer? Lacrymas nunc omnia poscunt,
Cum videas certi, praeter amara, nihil.

AD HENRICUM DANTYUM

equitem priorem Josephianum adlectum in Ordinem Hyerosolimitanum.

Sunt ea signa decus, quae detulit ardua Virtus,
Dedecus at Sortis si dedit illa favor.
Omnia sic almus, qui lumine vestit eodem,
Sol facit, haec spernas, qui facit, illa probes.
Quot latuisse magis vellent, quos pectore honores
Non bene gestantes fama pudenda notat!
Non Te facta negant, qualem Te signa fatentur:
Hoc Tibi nam Virtus vindicat una decus.
Vindicat hoc Pietas, qua mundi temnere fastus
Discis, et in miseros fundere largus opes;
Hoc Studium recti, quo mens invicta resistit
Mollibus illecebris, officioque manet.
Hoc Pudor, Integritas, Probitas, Moresque suaves,
Relligionis Amor, non temerata Fides.
Ergo quis stupeat, quod nunc, ubi perfida Christi
Gens est ausa nefas, diceris urbis Eques?

Ad eumdem in pervigilio Nativitatis Domini.

Nox celebranda redit, quae vidit Numinis ortum;
 Omina gratus amor quae tibi mittat, Eques?
Non Tibi sortis opes, meritos non poscet honores;
 Nam licet haec spernas ut peritura, tenes.
Sed Pax, quam mundus nec dat, nec possidet aurum,
 Orta oriente Deo, sit tibi firma, rogat.
Haec hilaret multos, quos sospes vixeris, annos;
 Haec te curarum pondere amica levet.
Nec mea vota cadent superis innixa promissis:
 Regnat ubi Virtus, Pax ibi certa manet.

IN MARIAM VIRGINEM PERDOLENTEM.

Vivat, matris amor clamat; Mors impia quidnam
　　Jus habet in natum, cur necet atra, meum?
Omnes qui coluit leges, qua lege peribit?
　　Crimen ubi nullum, Pœna nefanda venit.
Diva sub haec Pietas: Si culpae vixerit ultor,
　　Quis piet effuso sanguine Mortis opus?
Quid, licet aeternus, voluit de Virgine nasci,
　　Et, licet innocuus, non patienda pati?
Scilicet ut pœnam funestis ausibus aequet,
　　Dum perit ipse, reis surgat et inde salus.
Pectus uterque movet, mater; tamen imperat illa,
　　Ut releves lapsum commiserata genus.
Tu pares: soboles Mortis cadit hostia victrix:
　　At dolor heu! quantus Te dedit esse piam.

AD ODILONEM MASSACESIUM

cum examen ad lauream in utroque jure obtinendam subiturus animum desponderet.

Non est cur timeas, non est, mihi crede: corona
Ipsa cupit meritum Te redimire Themis.
Hi paveant, quorum studium fuit una voluptas,
Tempus, et ignave perdere mentis opes:
Non tu, quem cursu cupidum contingere metam,
Non piguit longi ferre laboris onus.
Fortis ab ingenio, doctrina fortior, haeres?
Magnum, non impar viribus aggrederis.

Ad quemdam in patriae libertate propugnanda vulnere affectum, quum aureo numismate publice decoraretur.

Quid tua sub patriae possit discrimine Virtus
Vulnera sunt testes, quae Tibi pulchra manent.
Testes ista, tuum decorant quae fulgida pectus
Signa; sed illa mihi sunt in honore magis.
Quae siquidem lex una dedit, lex altera tollit;
Quae peperit virtus, lex abolere nequit.

AD CAROLUM JULIANIUM

Quum apud sodales a sacris expeditionibus
Cœlestis Epuli primum particeps exstitisset.

Carole, qui nuper tanto es dignatus honore,
Quanto siderea non datur arce frui,
Tutus ab insidiis, mundique remotus ab aestu,
Nunc meditaris opus, quod tulit almus amor;
Pectore et illapsum quod Numen clauseris hospes
Tantulus immensum! solveris in lacrymas;
Solvere, res tanti est, quando non pulchrior unquam
Causa Tibi lacrymas fundere forsan erit.
Exprimat has Pietas cum pura, Fidesque, animusque
Gratus, et infandus desipuisse dolor;
Dignior offerri quae possit victima Cœlo?
Quid potius lacrymis eliciente Deo?
Desinat ut tandem dulcissima flere voluptas,
Dum Tibi Christus inest, concipe corde preces.
Vota sed ante cave ne non suscepta relinquas,
Quae tamen esse putas anteferenda, velim.
Multi multa vovent, quae post oblivio delet,
Quod non sumpserunt viribus aequa suis.

Sed tu vota memor, quae non susceperis impar,
Solve; tibi quantum muneris illa ferent!

Quos tua submittat primos aetatula flores,
Fac soli crescant, redoleantque Deo.

Sit Gonzaga tibi testis: nunc flosculus horti,
Ver ubi perpetuum, non periturus olet.

Hic etenim primum cœlesti munere pastus
Vovit magna, tamen non violanda, puer.

Tanta tulit, fecitque brevi, quae tempore Virtus
Maxima post longo vix peperisse solet.

Unde haec orsa, nisi cum primum pronus ad aram
Excepit Christum pectus amore calens?

Hinc lux orta, dedit quae secli nocte subacta
Cernere, quod mundus deperit, esse nihil.

Hinc ea, qua retulit, quot livida bella, triumphos,
Vis, quae portendit maxima quaeque recens.

Obstitit hinc frustra illecebris armata voluptas,
Saeva quibus miseros sub sua signa rapit:

Obstitit et frustra regali splendidus ostro
Debitus haeredi morte parentis honos.

Quidquid habet tellus, caeli inflammatus amore
Spernit, et ad veras fertur anhelus opes.

Impatiens terrae properat sibi sidera votis,
Et petit aligerûm aliger ipse choros:

Nec petit incassum; nam vita hic puriter acta,
Nunc agit, aeternus sol ubi luce beat;

Fortis ubi primae fulget tutela juventae,
Nec sinit exorans destituatur ope.

Hic tibi cœlestis vitae florentis imago,
O regat ad vitae regna beata pedem.

Non secus ille feret te per discrimina rerum,
Fervido ut in pelago sidera certa ratem.

Hujus ad exemplum mortales temnere fastus
Incipe, et, ut discas vivere, disce mori.

Non hic, quod cupias, non est, o Carole, dignum:
Cœlum vota petant fervida, sperne solum.

Et qui Numen habes, spes concipe Numine dignas:
Quam Gonzaga tenet, Te quoque meta manet.

AD FRANCISCUM RIZZOLIUM

Medicum ab ipsa juventute praestantem, nunc in Lyceo Magno Bononiensi Praefectum clinicae tradendae.

ELEGIDION.

Jure tibi victrix circumdat tempora laurus,
Inclita quam virtus, ingeniumque dedit.

Jam nunc sublatas sibi mors dolet impia praedas,
Plurima morborum quas dare turba solet.

Cautus enim reprobas, quae pharmaca suggerit usus,
Quin meditata simul mens probet ante sagax.

Sic hominum vitam non illa conficis arte,
Qua labefacta foret restituenda salus.

Laudis quanta manet jam Te seges ampla merentem!
Quantus at immerito livor iniqua parat!

Non tamen hoc animum despondens fortiter urges
Certus opus: vires sufficit artis amor.

Conscius ipse tibi, quoto sis nomine habendus,
Gentis et omnigenae quantus in ore sonas,

Omine pergis iter felici viribus aequum
Securus, mendax quos ferat aura sonos.

Aureus ut tegitur si quando nubibus atris
Sol, ubi nimbus abit, purus ut ante redit;

Non secus illa tuae florentis gloria famae
Intemerata nitet deficiente nota:

Splendida quam celebrant certae miracula dextrae,
Tabida dum ferro corpore membra secas.

Testis ego, refero tibi, qui prope funere mersus,
Acceptum vitae quod mihi restat adhuc.

Heu mihi qualis eram! Morbo cruciabar acerbo,
Nullaque spes animo, qua regeretur, erat.

Maesta dies, caecis nox maestior atra tenêbris,
Qua vigil effingit pessima quaeque metus.

Quaerebam matris, fratrumque atque ora sororum,
Mentis inops, oculis tam procul inde meis:

Cum tu dexter ades missus mihi cœlitus aegro,
Doctus et ignarae destruis artis opus;

Et mihi (succurrit) subridens ore benigno,
Dicebas: Trepidos excute corde metus:

Est superata mali vis, es discriminis expers,
Quo spes nuper abît, hoc abeunte redit:

Et matura redit: fuerit vix Lucifer ortus
Alter et undecimus, corpore sospes eris.

Facta fidem superant: citius me Felsina dicto
Viderat ire suas obstupefacta vias.

O utinam, sospes, o vivas utilis annos,
Quos aliis gemina ducis ab arte potens!

Haec ego suscipio quae fervida vota Sacerdos
Jure Tibi, firmet sic Deus illa bonus!

AD VINCENTIUM TODESCHIUM

Doctorem Decurialem in Lyceo Magno Bononiensi jus sacrum interpretantem.

Omina vult tempus, nobis quo vita revixit
    Numine cum nato: quae Tibi fausta petam?
Nempe ut firma salus Te in multos sospitet annos,
    Quemque labor meruit, denique detur honos.
Signa minus meritis decorant cur fulgida pectus,
    Tuque (nefas!) merito cur sine honore jaces?
Sed tu pergis iter fortuna major iniqua,
    Nam meruisse putas, non habuisse, decus.
Munere pro magno vera est sibi conscia Virtus:
    Qua sine despicitur quidquid honoris habes.

Ad eumdem redeunte prima die a Sacerdotio suscepto.

Quae modo lux oritur Superûm Te luce nitentem
    Ferre Deo primum vidit ab axe Sacrum;
Cum tua, Vincenti, referebat Munera virtus,
    Qualia Cœlicolum non licet esse choris.
Gaude Tibi merito, nam fervidus ille Sacerdos,
    Ille operaris adhuc, propositumque tenes.
Scilicet aura Dei, non Te fortuna vocavit,
    Vana nec ambitio, nec requietis amor.
Integer hinc peragis, quae Te Relligio poscit,
    Commissumque simul Judicis officium.
Nam sequeris leges, non munera blanda clientum,
    Queis tam saepe dolet, proh pudor! aequa Themis.
Sic Te culpa tremit, non mens sibi conscia recti,
    Sic Te stant dominis vindice jura suis.
Perge, manet longae permensum tempora vitae,
    Quae decoret meritum parta corona caput.
Interea, o referat multos Aurora per annos
    Lucem, qua exoritur non mihi laeta magis.

Ad eumdem Forum Livii proficiscentem.

Lucifer ut surgat Te velox esseda portet,
Quo Te sollicitat pergere tantus amor!
Auspice tutus eas Cœlo, carosque revise:
Hesperus ante tamen, quam micet axe, redi,
Namque, ut mater amans natum, sic Felsina lumen
Praesidiumque suum non sinit esse procul.

AD MICHAELEM FERRUCCIUM

Virum praestantissimum in Athenco Pisano literas italicas latinasque tradentem.

Omina laeta jubet veterum de more december:
  Exoriente, petam quae Tibi fausta, Deo?
Scilicet Italiae ut longum Te sospitet aevum;
  Hoc memor assidua cum prece poscit amor.
Sic Ciceronis adhuc stet vivax gloria linguae,
  Quae fratris, atque tuo lumine tanta micat!
Nam tua scripta legens juret scripsisse Nepotem;
  Sic tu mirifica simplicitate nites!
Ecquis non Flacci, non carmina pulchra Maronis
  Se legisse putet, si fratris illa legat?
Salve, o Par magnum, per Te redit aurea mundo
  Aetas: sic studiis restituetur honos.

Ad eumdem, cum auctor indicem Sacrorum mitteret, quae fecerat Manibus piandis A. F. Ozanami.

Sic amor Ille tuus nunc laetus sede piorum
Det Tibi, quos Sibi mors abstulit atra dies.
Flebilis ante suos virtutibus occidit annos
Multis, sed nulli, quam Tibi flebilior.
Eheu! quanta simul perierunt commoda in uno,
Quantaque lux studiis occidit Italicis!
Tu saltem o repares in tempora longa superstes
Tanti damna, licet vix reparanda, viri.

AD ANTONIUM BLASIUM

Medicum.

Es juvenis, Blasi, tua si numeretur ab annis
Aetas: si meritis, crederis esse senex.

IN MEVIUM.

Optima quaeque notas, et laudas pessima quaeque?
Qui sis, judicio proderis ipse tuo.

POESIE ITALIANE.

IN MORTE DELL' ARCIDUCHESSA CAROLINA

Figlia di S. A. il Granduca Leopoldo II,
felicemente regnante.

SONETTO.

Figlio d' amico ciel candido fiore
Nacque di Flora nel gentil soggiorno,
E ancor novello diffondea d' intorno
Dolci fragranze di celeste odore.

Delle Grazie crescea geloso amore,
Che ognor lo fean di più bei pregi adorno,
E Zeffiro aleggiando al nuovo giorno,
Gl' infondeva un giocondo almo tepore.

Videlo il figlio di Ciprigna, e n' ebbe
Di spiccarlo disio; perchè, lo stelo
Inaridito, il vago fior sen giacque.

Di piacer a quel Dio tanto gl' increbbe!...
Ma trapiantato dalle Grazie in Cielo,
In sen d' eterno april più bel rinacque.

IL NATALE.

SONETTO.

Quella pace che l'anima sospira
In questa valle di miserie piena,
Ove comincia a lacrimarsi appena
Che la prima vitale aura si spira;

Quella pace, a che indarno avido aspira,
E cui ride la sorte ognor serena,
E cui tiranna voluttà incatena,
E cui desìo d'onor vinse e martira;

Quella pace, che solo ivi dimora,
Dove innocenza, ahi troppo rara! il Cielo
Di sue bellezze angeliche innamora;

Quella pace oh! ritorni, almo Signore,
Che recò tua pietade in uman velo,
Compiendo il gran mistero oggi d'amore.

LE CENERI.

SONETTO.

Cieco mortal, che nella vita frale
Perdi gioiendo i numerati giorni,
E dagli eterni l'animo distorni,
Com'avessi quaggiù vita immortale;

Deh! se la fè di sua luce vitale
Nella cupa tua notte unqua raggiorni,
Pensa che polve sei, che in quella torni,
Quando giunga per te l'ora fatale.

E trionfando in umiltà verace
Del delirante secolo l'orgoglio,
Cercala in Cristo, e troverai la pace.

Ma se nemico al ciel, la vuoi dal mondo,
Fossi potente fortunato in soglio,
Misero! giaci d'ogni male in fondo.

PER PROCESSIONE DECENNALE IN BOLOGNA.

I popolani parlano al Parroco.

SONETTO.

Mentre assorto in un'estasi d'amore
Porti ne' misteriosi azimi ascoso
L'increato, l'immenso almo Signore,
Digli che un guardo a noi volga pietoso;

Ma tal, che ne sia vinto il cieco errore,
Ch'abbian le travagliate alme riposo;
E rinascendo in sovruman dolore,
Tornin più fide al sempiterno Sposo.

E noi (deh così il voto Egli ne accolga!)
D'un volere imploriam, che il caro dono,
Che con Te ci largia, tardi ritolga,

E ognor ti faccia la sua grazia degno
Che salgan le tue preci al divin trono
Coll'ostia santa a propiziar quel regno.

ALLA VERGINE DELLE GRAZIE

Votivamente festeggiata per cessato morbo epidemico

SONETTO.

Vergine, a te preghiera unqua non salse,
 Che non schiudesse di tue grazie il fonte,
 E nostra molta indegnità non valse
 A far che le piovessi a noi men pronte.

Però, quand' infernale ira n' assalse,
 O la Giustizia minacciò dal monte,
 Sempre la tua benignità prevalse,
 Chè per tuoi senti i nostri danni e l' onte.

E questa Terra il sa, ch' oggi Ti rende
 Solennemente in festa onor votivo
 Per una di tue glorie alte e stupende.

Deh l' amoroso fuoco ond' egli muove,
 Se brami che s' accenda anche più vivo,
 Trovi, o Madre, nuov' esca in grazie nuove!

Sullo stesso argomento.

SONETTO.

Per Te si rinnovella oggi l' onore,
Vergin, gloria di mia terra natale,
Che ancor rammenta paventando il male,
Onde fu già d' ogni speranza fuore;

Se non che a Te salìa, fonte d' amore,
L' umil sua prece della fè sull' ale,
E Tu pur sempre a Te medesma uguale
Consolavi, o Pietosa, il suo dolore.

Chè vinta dalle tue luci leggiadre
La morte di ferir più non ardiva,
Tanta è su lei la tua possanza, o Madre!...

Ma se la vita allor desti alle salme,
Che poca terra poi spente copriva,
Oggi ah! l' impetra sempiterna all' alme.

A CAMMILLO LELLI

Sacerdote novello.

Parlano i giovanetti da lui catechizzati.

SONETTO.

Se noi d'almo giardin piante novelle,
Dolce cura di Felsina e del Cielo,
Secure e dritte sovra il molle stelo
Per innesto gentil cresciam più belle;

È tuo merto, o Signor; chè tue son quelle
Solerti cure, onde nè l'aspro gelo,
Nè l'arsura fa oltraggio al nostro velo,
Nè il guardo obliquo di nemiche stelle.

E se or ch'arbitro sei del Sole eterno,
Che per mistica via chiami sull'ara,
Fai che prenda di noi nuovo governo;

Pria del tempo vedrai l'innesto in fiore,
Vedrai copia di frutti al mondo rara;
Tanto può di quel Sol l'almo tepore!

PER SACERDOTE NOVELLO.

SONETTO.

T' appressa all' ara, e se ti ferve in petto
Amor di Lui, che a tant' onor t' elesse;
Giura che non cadran vuote d' effetto
Le solenni immutabili promesse.

Vedi qual corre, ahimè! secolo infetto
Di mille colpe, onde son l' alme oppresse,
Che bestemmiando l' infallibil detto
Già l' empietade funest' orme impresse.

Vedi, e pien di quel Dio, che or or disceso
Nelle tue mani al suon di sua parola
Tutto t' avrà di sè medesmo acceso;

Va, pugna, abbatti la superba scuola,
Torna il Vangelo in sua ragione, e inteso
All' arduo fin, va, la grand' Ostia immola.

PER LAUREA IN FILOSOFIA.

SONETTO.

Ecco pago il desio che sì t' accese,
Che vinta d' ozio e voluttà la guerra,
Degno dell' immortal fronda ti rese
Colei, che del saper le vie disserra.

Però con voglie a belle opere intese,
Scorto da Lei che in sua ragion non erra,
Chiedi a Natura, e ti sarà cortese
De' tesor, che alle menti alte non serra.

Sai che ha feconda immensità di regno,
E che senno di secoli non vale
A far che la trasvoli ala d' ingegno.

Ma quando ti dirà: Qui son mistero —
Non tentar ciò che vince occhio mortale:
Non sai ch' è scala a Dio l' ignoto vero?

AD ILLUSTRE PERSONAGGIO.

SONETTO.

Signor, le tuo cortesi alme parole
Mi fur vital ristoro, anzi buon seme,
Onde già spenta rinverdì la speme,
Quale appassito germe a' rai del sole.

E se quella virtù, che si conduole
Del mal che desolat' anima preme,
Quando il potere al buon voler va insieme,
Invano a cuor gentil parlar non suole;

Forse, la tua mercè, l' ora s' avanza
A consolare il lungo egro desìo,
Ch' ahi! tanto tempo la chiamò dal Cielo.

Deh ch' io possa vedere, auspice Dio,
Che t' ispirò, dal tuo pietoso zelo
Maturar delle mille una speranza!!!

PER NOVELLO MAESTRO DI MUSICA.

SONETTO.

Cresciuto all' Arte che sull' alme impera
Colla potenza di maestre note,
Pensa che vuol per Te di grazie ignote
Splender più bella e ritornar qual' era:

Non putta invereconda e lusinghiera,
Che fa le genti a voluttà devote;
Ma vergin che i sopiti animi scuote,
E li ridesta alla virtù primiera.

Quindi nel loco Santo e sulle scene
Faran dell' armonia degno governo
Grazia, pudor, semplicità, decoro.

Quindi all' Itala gloria un bel ristoro,
E a Te, vinta in fresch' anni ogni alta spene,
Ne' suoi memori fasti un nome eterno.

APPENDIX

SPECIMINI LATINAE POESEOS

AD EQUITEM

NICOLAUM NERVINIUM

O Nervine, decus Latinitatis,
Quam versus redolent tui venusti,
Plenus es siquidem elegantiarum,
Plenus et venerum tui Catulli,
Tibullique simul, simul Maronis,
Magna dum celebras pari camoena.
Testes, quae cecinit modo eleganter
Sic Frullanius ille, qui sororum est
Novem delicium, Itala poesi,
Quae Tu carminibus Maronianis
Reddis, ut melius, venustiusve
Hercle Virgilius nequiret ipse:
Sic ejus numeros vales referre!
Idem, quod stupeant, negentque multi,
Jus calles adeo vetus, recensque,
Tuerisque simul suum cuique
Promissis, precibus, minisque flecti
Nescius, Themidis ministro ut est par,
Et das Iustitiae modum severae,
Te ut nullus doleat cliens patrono,

Causas nec doleant Te agente Leges.
Ad haec quis referat tui potentes
Virtutes animi, quibus triumphas
Quidquid est hominum efferatiorum?
Nuper ut potuit videre quisquam,
Cum praeesse Tibi dedit merenti
Coetibus Leopoldus ille noster
Ille praesidium, decusque nostrum,
Tua ut mirifica sagacitate
Culparum tenebris latentiorum
Depulsis, fieret palam voluntas
Principis, fieret nequissimorum.
Quod dum tu facis; obstupescit omnis;
Arma sic Sceleris retundis acer,
Cogas ut domitum pudere sui!
Magni at dum numeris es aestimandus
Tot, Nervine, tuis; tamen minori
Non hoc dignus es aestimatione,
Quod sis tam facilis, bonus, modestus.
Quare, spero equidem, meum libellum,
Ut soles, animo leges benigno,
Quem mitto horridulum elegantiarum
Patri, discipulus velut Magistro.

NERVINIUS RESPONDEBAT

Marcelle, aureolum tuum Libellum
Praestantem duplicis nitore Linguae,
Et blandam mihi tale nil merenti,
Mittis Litterulam: referre grates
Par est, quas numèris Catullianis
Reddidisse velim elegantiores.
At desiderio volentis obstant
Iners jam cithara, ac Themis severa.
Interim mihi gaudeo, Tibique
Gratulor, cupidâ manu revolvens,
Marcelle, aureolum tuum Libellum
Praestantem duplicis nitore Linguae,
Cui Musae duplicem parent coronam.

AD COMITEM

PETRUM PIERUCCIUM

Quem mitto horridulum Tibi libellum
Parvum, Juppiter, at laboriosum,
Hunc aequi facias velim, bonique,
Signum quandoquidem mei est amoris,
Quo Te prosequor usque et usque amantem, et
Prosequar, mihi vita dum supersit,
Gratus promeritum, ut cliens patronum:
Prosequar, Comes omni honore digne
Doctrina, ingenio, bonisque cunctis,
Quae solent homini magis probari.
Quam sis in miseros pius sodales,
Num latet miseros, latebit unquam!
Nullum me tamen ante non latebit,
Primus qui fueram miserrimorum.
Saeva quam fuerit mihi reverso
Fortuna in patriam diu cupitam
Frustra, nunc etiam subit, subibit,
Quidquam dum superet mali ferendum.
Quando quis studio tulisse fratri
Fratrem vidit opem magis magisque,

Pol atque ex animo, mihi ut solebas
Nuper praesidio tuo indigenti?
O vicem Superi Tibi rependant,
Ut sacris operans rogo, rogavi, et
Fervens perpetuo rogabo ad aram:
Sic cum conjuge, filia, parente,
Sic o numine Te suo vigentem
Semper incolumi velint salute,
Et velint animo simul valentem;
Donec Nestoreis gravatus annis
Occidens Superûm fruaris aevo,
Quo Virtus animas vehit suorum.
Interim, Tibi quando sunt amoris
Testes versiculi tui sodalis,
Quamvis illepidos, tuo et minores
Nomine accipias libens, volensque,
Id tuae est etenim benignitatis.

AD EUGENIUM FERRAIUM

In Lyceo Florentino Literas Graecas tradentem.

Accipe, quos Latii Tibi mitto munere flores,
Nil gratum redolent, praeter amicitiam.

Sed Tu mitte mihi, quos educat Hellas: odores
Gratia terna dabit, si petis, ipsa novos.

AD JOSEPHUM ARCHANGELUM

Virum praeclarissimum.

Dulce decus nostrum, quos finximus, accipe versus,
Pignus amicitiae, pignus et obsequii:
Non sunt haec equidem, non sunt Te parvula magno
Digna, sed immensus tantula mittit Amor.

DE MARCELLO FORNAINIO

M. FERRUCCIUS

Dum tot me immeritis Marcellus laudibus ornat,
Ostendit quantum fallere possit Amor.

AD M. FERRUCCIUM

M. FORNAINIUS

Non me, dum meritum magnis Te laudibus orno,
Fallit Amor: judex falleris ipse Tui.
Nam quî fallar ego Te laude benignius ornans,
Quem decus ipsa suum suspicit Italia?

AD PETRUM DAL RIO

In Lyceo Florentino Rhetorem praestantissimum.

Verba ligata leges, non carmina, quando canoro
Cum sermone mihi defuit ingenium;
Quo non immerito cum Tu lauderis utroque,
Quidnam Te sperent judice versiculi?
Unde venit, culpae ceu qui sibi conscius, exspes
Hoc gemino Specimen nomine ridiculum.